

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA  
EXHIBENS  
CASUM HYSTERIAE CHLORO-  
TICAE MAGNETISMO ANIMALI  
SANATAE

QUAM  
CONSENSU ATQUE AUCTORITATE AMPLISSIMI  
MEDICORUM ORDINIS

IN  
UNIVERSITATE CAESAREA LITERARUM  
DORPATENSI,  
UT GRADUM  
DOCTORIS MEDICINAE

RITE ADIPISCATUR,  
LOCO CONSUETO PUBLICE DEFENDET

AUCTOR  
*CAROLUS ROSCHER,*  
WÜRTEMBERGENSIS.

---

DORPATI LIVONORUM,  
TYPIS J. C. SCHÜNMANNI, TYPOGRAPHI ACADEMICI,  
MDCCGXXVII.



Imprimatur,  
ea tamen conditione, ut, simulac typis excusa fuerit  
haec dissertatio, septem exemplaria collegio, cui censu-  
ra librorum mandata est, tradantur.

Dorpati Livonor. d. xv. Mens. Apr. MDCCCXXVII.

Dr. J. C. Moier.  
h. t. Decanus.

VIRO ILLUSTRISSIMO,

FRIDÉRICO PARROT

MEDICINAE ET CHIRURGIAE DOCTORI  
NEC NON  
PROFESSORI PHYSICIS ORDINARIO,

PRAECEPTORI AD CINERES USQUE COLENDO,

HOC PRIMUM LITERARUM SPECIMEN

OB MAXIMA

BENEFICIA IN SE COLLATA

GRATISSIMO ANIMO

D. D. D.

AUCTOR.

*Lector benevole!*

Paginulas hasce perlegenti tibi si non quae forsitan a dissertatione expectaris occurrant; auctori, precor, veniam des, quam spero fore ut non abnatas, si causas humaniter perpenderit, quae me compulerint, ut historiam casus cuiusdam praetere simplicem loco materiae in dissertationis modum tractandae eligerem eamque eo, quo usus sum, modo potissimum exponerem. Spatium temporis trium hebdomadarum, quibus praeterlapsis, quippe qui in eum numero instituti Academici accessis sum, non us obire publicum me oportet, namis circumscriptum est, quam ut opus scribere et hoc in publicum edere possem, immo vero quod si haec quidem historia edatanda mihi, permiserit ut aliquid fusius et uberius de eadem disserterem, sed in pagellas perpaucas, potius quam coarctarem. — Verum ut hanc ipsam materiem ceteris omnibus praeponerem, desiderium insuper me commovit, re suscepta quamvis minuta, aliquid saltem fruc-

tuosi perficiendi. Quem finem spectatum eo magis assequendi spes mihi injecta est, quoniam additamenta, quae de effectu graviorum remedium et hucusque minus spectatorum, (quibus sine dubio magnetismus animalis adnumerandus,) nos edoceant, materiae medicae terminos simul profert. Num casus hic relatus hoc praestet nec ne, sententiam aperire non audeo, sed iudicio lectorum opinionis praepjudicatae expertum committo discernendum. Namque (miserabile dictu) multa praepjudicata de magnetismo animali hucusque vigeant atque impedimento erant quominus integre et pro dignitate aestimaretur; quin etiam a praesentibus oculis suis videntibus eum audivi addubitatum. Quam ob rem non puto supervacaneum adicere, curationem aegrotae magneticam a me susceptam esse firmissimo consilio: accuratius omnia et veritati convenienter observandi, quod idem eo facilius mihi contigit, quod idem eo facilius aut contra habebam temere conceptam, et quia, etiamsi me tironem et minus exercitatum multa quidem gravioris momenti praeterierint, praesentia praepceptoris nostri maxime venerandi, professoris Siruve creberrima hoc vitium compensant.

Cum opusculi hujus finis, scilicet magnetismum animale in morbis praesertim sphaerae sensibilibus, seu remedium efficax probandi, semper mihi ante oculos versaretur, omnibus absentem adhibitam is et nil nisi facta graviora enumerabam. Phaenomena ipsa singularia, quae magnetismi animalis effectum comitari solent, hactenus tantum audivi poterant, quatenus sta-

tus magnetici varios gradus, ad quos aegrotata pervenerat, designari oportebat, ut simul demonstraretur, ad incommoda quantumvis inveterata sananda (quibus simile erat nostram aegrotam excrucians,) gradus altiores et excultos atque non semper requiri. —

\*) Aunotatio. Magnetismo animali ut inter remedia locum debitum tribuere possimus, operae pretium erit, si talia experimenta quale praesens, frequentius in medium proferantur; facta scilicet sine ulla rerum contemplatione subtiliore et inani, quaeque nullas praeterquam res reapse observatas perhibeant. Mira in hoc, de quo agitur, (casu erat facultas vim magnetismi animalis percipiendi, quippe cum aegrotata primo quidem initio, manibus bis tantum per brachia ductis, obdormisceret. Curae etiam eventus omnino sufficiens aestimandus; quoniam incommodum quindecim annorum penitus extirpatum sit, incommodum dico, quod ne cupido quidem omnia in dubium revocandi pro facto habeat. Ceterum curae ipsi, praeter me, cum cell. viri nec non professores Parrot, Lenz et Guil, Siruve semel, tum ill. Doct. Blumenthal, nunc professor in universitate Charcoviensis semper intererant, sicuti singuli aliquoties medicinae studiosi. Parrot nominatim experimentis ingeniose institutis plurimis de vera status per somnum magnetici praesentia persuasus erat. Experimenta etiam inutilia omnia et visendi causa hominum adventus ab aegrotata diligenter prohibebantur. Aegrotata pariter, ne nominis quidem rei

gnara, nunquam de curandi magnetismo animali methodo edocebatur. Ducere\*) enim verbo utebamur, quo eodem rem aegrotam nuncupabat et ipsa.

Dr. Lud. Aug. Struve, professor therapeuticae et clinicae.

---

\*) Streichen.

---

*Morbi descriptio et sese evolventis  
et exculti.*

Paulina G., sartoris Dorpatensis defuncti filia, sedecim annorum, constitutione imbecilliori, laxa, admodum sensibili et alacritate animi huic respondente praedita, die 22 mens. Jan. anni 1826 in sectionem nosocomii Academici therapeuticam recepta est. Ipse ab ineunte aetate molestis impeditae digestionis fere continuis simul cum affectionibus in regione fundi ventriculi dolorificis laboraverat. — Contra vermes lumbricos, a quibus pariter satis mature vexata erat, septimo jam aetatis suae anno, auxilio medico oppugnatum fuerat, quibus coercitis affectiones saltem mitigatae erant. Digestio debilitata perstabat.

Anno undecimo, factam post deambulationem concitantiorem repente a pectoris angustiis, angore et palpitatione cordis corripiebatur, quae incommoda in animi deliquium abeuntia cessabant; palpitatio cordis paulo diutius permanebat. Quae affectiones, commotionibus animi intercedentibus, facillime identidem revertebantur,

saepenumero quindecies per diem iteratae. Molestiae digestionis impeditae eodem tempore mire augebantur, alvusque obstructa ad septimanam usque perdurans, congestiones in caput etc. provocabat. Dolor praecipue urens et pungens ab hypochondrio sinistro, in scapulas et posterus perductus, a minutissima quaque re conflabatur, cui phaenomenon accedebat globo hysterico haud absimile, in loco primo dolente et parte sinistra cooptum. Eodem fere tempore extremitates alterna vice aut praemoriebantur aut contremiscebant, quod malum plerumque per duas hebdomades fatigare eam non destitit. Palpitatio cordis et membrorum trepidatio, interjecto anni spatio, evanescebant, prima scilicet infuso adhibito theae virid. concentrat; cetera phaenomena permanebant. Mox ea gravedo pertinacior insecuta est cum dolore vehementiore in sinu frontali, initioque anni decimi quinti cum affectionibus spasmodicis universalibus conjuncta erant, quae quamdiu durabant, aegroti ore et vultu distorto mentis suae non compos facebat, abdomen maxime inflatum erat. Hi paroxismi praesertim sub mediam noctem adparentes, ad horas usque tres perseverabant. Convulsiones insuper membrorum particulares frequentissimas aegroti perpetiebatur. Jam antequam affectiones modo memoratae in conspectum venerant, in pede sinistro valgus sese formabat ac paulo post etiam scoliosis ad partem laevam. Sub finem anni decimi quinti menses, prodromis diuturnis et gravibus praemissis, profuere incipiebant; qui, quatuor diebus vacuis interpositis, per hebdomadem tenebant; cessantes cito fluor albus subsequebatur, quocum frusta

magna nigra et pici liquidae simillima exhibant, plerumque autem mucus albus et tenax effluebat, per totum intervallum menstruationis irregulariter procedentis perstans. Haec fere summa est historiae morbi evoluti, qui, aegroti in nosocomium recepta, hanc circiter speciem prae se ferebat.

Digestio admodum debilitata, languor ductus intestinalis maximus; cibi aliis praeterquam facilitioribus concoctu simulac sumtis, sapor aut acidulus aut amarus mirum in modum adauctus; linguae superficies rimosa et pustulosa, tum mucosum materia quadam flava obducta; abdomen inflatum; alvus perpetuo adstricta, qua dejecta, excrementa durissima. Secretio urinae mutabilis, saepissimi mucosa; cutis extremitatum plurimum frigidiuscula et humida, ceteris corporis partibus frequenter calida et sicca; menstruatio extra numerum et vitiosa, adventus ejus cum molestiis et impedimentis conjunctus. Fluor albus temporis spatium duabus periodis interjectum explebat.

In sphaera sensibili malum prodibat cum crebris post animi affectionis etc. supervenientibus animi deliquiis, doloribus saepius renovatis ab hypochondrio sinistro in dextrum transeuntibus, qui plerumque sensu globi hysterici aegrotam afficiebant; item cum spasmodicis particularibus; nocturnae etiam, quarum supra mentionem fecimus, affectiones spasmodicae universales, complures menses intermissae, nunc iterum revertebantur; porro cum membris torpentibus, sensibilitate adhaucta et sensus organorum activitate perversa.

Conditio systematis vasorum talis fere existit. Pulsus cordis et arteriarum parvus, debilis,

irregularis et non raro inaequalis, universe permutabilis, tum acceleratus et excitatior febrilemque in modum commotus, tum aequo tardior, nunquam vero infra septuagies per sexagesimam horae partem micans. Congestiones ad cavum pectoris et cranii exoriebantur frequentissimae, dolorem vehementem ibi et respirandi difficultatem procreantes; quo fiebat ut partim ea re quam modo diximus ipsa, partim languore communi, pulmonibus simul ab eodem affectis, sanguinis oxydatio diminueretur. Extra ea dolor premeus in fronte a gravedine fovebatur fere perpetuo.

In regionibus systematis lymphatici superficialibus stagnationes et glandularum intumescen-tiae adparebant, atque organorum tam fibroso-rum quam irritabilium laxitas conspicua erat non solum e scoliosi in dies magis amplificata, sed etiam ex lassitudine eundo facillime contracta. — Valgus supra memoratas, localibus tonicis et caliga e lamina coniecta (Blechstiefel) sanatus fuerat.

Corpus totum tumidum et inflatum erat, facies pallida, oculi circulis circumdati caeruleis, extremitates, quae contractatae saepissime sese exhibebant humidae et frigidae, colore tinctae caeruleo-rubro: somnus perquam turbatus, inquietus nec supra horas tres vel quatuor extentus; sensorii ceterum activitas alacrior.

Hac morbi imagine expressa, perspicue nobis affulget: hysteriam non puram sed ejus complicationem cum chlorosi, eaque formae erethicae nobis ante oculos fuisse, quoniam amborum morborum phaenomena ibi offendimus.

## Aetiologia.

Ad statum aegrotantis nostrae provocandum morbosum, etsi perpauca tantum momenta afferre possumus, sufficiunt tamen. Continentur enim tum in aegrotae opportunitate, scilicet corporis constitutione sua subdebili, tenera et sensibili, tum in rerum omnium, quibus matris egestas eam exponebat, nozarum vi, domicilium puta humidum, alimentum valetudini inconueniens et alienum inopiamque procurationis omnis et custodiae.

Quibus momentis ceu summum adnumerandum est: vita sedentaria cui aegrotata inde a tenera aetate et postea assidue obnoxia fuerat.

## Pathogenia.

Phaenomena, ea, qua in lucem deinceps prodierant, serie, considerata quamvis sint multiplicia, intimam tamen inter se cohaerentiam agnoscere cogimur. Plurima eorum et graviora statum pathologicum significant, praecipue organorum assimilationis et digestionis, sicuti systematis nervorum, eaque firmissima sunt quibus niti debemus momenta, si mali evolutionem aliquatenus illustrare conamur.

Opportunitatem ad hunc morbum versatam esse in constitutione sensibili atque subdebili proficiens, in uniuersum quidem recte dixisse videatur. Verum tamen vox: „sensibilis“ et subdebilis, ut mea fert sententia, iusto minus expressum vult, ubi, canearum simul occasionalium rite habita ra-

tione, ortum morbi ejusmodi nobis fingere et explicare possimus. Permulti enim sunt infantes, qui, quamvis infirmi et sensibiles, eadem tamen, quam nostra aegroti in teneris agebat, vitae conditione, a scrophulis, rachitide et morbis aliis corripantur. Compluribus itaque constitutionibus, quas uno eodemque nomine nuncupantes existimamus easdem, insunt certa et occulta discrimina, quae nullo modo percipere et nisi e ratione qua ad res externas referant accurate internoscere possumus, quaeque in causa sunt cur morbi causa eadem apud individua alia in aliud aut systema aut organon vim suam noxiam magis exercent.

Res detrimentosae in aetiology a nobis denotatae effectum nocentissimum primo quidem et directe in organis digestionis protulerant, quemadmodum e statu, qui mature jam locum habuerat, pituitoso ac verminoso et ex digestionem debilitata cum eo conjuncta deprehendimus, e quibus nimirum assimilationem et nutritionem vitiosam progigni oportebat; attamen pariter non possumus, quin dolores, quos jam tum aegroti perpressa erat in regione ventriculi, colligamus, fuisse primum initium turbationis cujusdam in plexibus nervosis abdominis, quam una cum molestiis digestionis, rebus illis durantibus detrimentosis, et ipsam adauctam videmus, quod affectiones nervosae postea ex eodem loco profectae satis superque comprobant. Vermes lumbrici ad hoc malum procreandum nervosum multum utique contribuerant, nec veritati absimile esse putamus, systema nervorum ceteroquin mire sensibile, his sine ulla intermissione irritantibus, ad majorem gradum fuisse excitatum. Quocirca anno 7<sup>mo</sup>, cura anthelmin-

tica peracta, affectiones animadvertimus remissas. Quae cura tamen finem tantummodo habuit producti morborum (vermes lumbricos videlicet) removendi; morbus ipse, debilitas nempe ductus intestinalis statusque pituitosus, a quibus originem illi ceperant, remanebat; assimilatio, ut non dicam, parcius, sed potius manca et vitiosa perstabat et affectio syncoptica tres annos serius subveniens, quam palpitationis comitabatur cordis, nobis indicavit, systema potissimum nervorum, hoc tempore durante, fuisse, in quod hae anomaliae vim suam perniciosam exsererent. Nam, quae post affectiones istas in dies magis augescebat digestionis debilitate excepta, praeter organismi laxitatem, quae ex hac sine dubio redundet, communem adauctam, et valgo oborto manifestatam, nil nisi symptomata nervosa in morbi historia descripta, accipimus. — Quodsi aliter fieri non poterat, quin totus organismus morbose affectus sit, eo tamen usque phaenomena morbosa, quae in statum quendam dyscraticum monstrarent, nulla prorsus sese ostenderant; tametsi humorum mixtio non amplius inter normales numerari posset. Recte igitur assumere debemus: systematis potissimum nervorum functionem proxime cohibitam et systema vasorum postea demum certo, quem captu nostro nunc saltem perspicere possumus, modo in conditionem pathologicam esse delapsam. Nam sensibilitatem nervorum adaucta vasorum, partim irritabilitatem systematis vasorum amplificari, partim atonia in universum magis in dies crescente, hujusce energiam diminui necesse erat. Ex quo, ut opinor, etiam affectiones palpitationis cordis, easque infuso theae concen-



trato adhibito pacatas nobis interpretari possumus. Inde ex eo tempore, quo palpitatio cordis apparuerat, complura pariter functionis systematis vasorum turbatae phaenomena conspiciebamus praeter ea quae ex debilitate systematis nervorum sensibili magis magisque multiplicata emicuerint, quaeque ex reproductione languescente prodierint. Alvus ex hoc tempore saepe numero ad septimanam usque obstructa, iis praesertim, quae attingimus, incommodis praesentibus et momentis sanguinis circulationem nimirum interpellabat; inde congestiones creberrimae, statui systematis vasorum convenienter caractere erethico praeditae, sicuti phaenomena cum iis conjuncta spasmodica patefaciunt.

Notatu dignissimum est, infirmitatem communem trium annorum spatio, scilicet inde ab initio anni aetatis duodecimi usque ad exordium decimi quinti non ita magnos in summa fecisse progressus, contra ea, aliquatenus saltem, imminutam fuisse; quod fortasse in opera et praecautio-  
ne ab ill. Erdmanno e consiliis collegii tum temporis in aegrotam nostram curando collata nitatur; nihilo tamen minus etiam permutationibus organismi, pubertatem incipientem semper fere comitantibus aliquid tribuendum esse, censeo. Non raro enim accidit, ut status morborum varii per eas tum imminuantur quodammodo tum omnino frangantur. In hoc, de quo agimus, casu, naturam omnes vires, quas habuit maximas intendere oportebat, ut non solum certa organa excolendi sed etiam mali tam longe serpentis progressus majores coercendi finem assequeretur. Quodsi naturae molimina ut in primo hujus pe-

riodi dimidio, ab Erdmanno cel. vir. medicante, sic etiam postea accommodatae adjunctae fuerint, aegrotata radicatus forsitan sanari potuisset. Verum post ejus abitum quum ad statum levandum nihil progressus perliceretur, aegrotaque sibi ipsa commissa esset, vires naturae vix paulisper recreatas atque ob periodum evolutionis per se aliquanto alacriores, incassum exhausti necesse erat, idque tam ex spasms universis initio anni decimi quinti proruptis, qui debilitatis cujusdam sensibilis gradum majorem significent, quam e scoliosi eodem fere tempore formari coepta et laxitatem augescentem insequuta agnoscamus; tandem e difficili, quum supervenerit, menstruatione, quam eadem e vasorum systematis mire commobilis deficiente energia ac praesertim vasorum uteri nobis exponere possumus; eaque ipsa pro typi menstruationis irregularis posthac intercedentis et fluoris albi aborti causa et origine habenda est.

Hac activitate systematum variorum tam vitiosa et nominatim assimilatione tantopere turbata, partem organismi materialem haud potuisse normam suam servare sua sponte elucet, immutationesque natura sanguinis venosa, (quae quomodo progenita sit, jam supra monstravimus) et quia humores ad cacochymiam mucosam inclinaverint, facilem habent cognitionem. Semper autem haec mixtio mendosa pro ea habenda erit quae anomalia rationum dynamicarum inprimis fulta sit.

Quibus breviter expositis, et status totius morborum evolutionem et quo pacto phaenomena quaedam singula eaque eminentia ac maxime insignia elicitae fuerint, quaemadmodum egomet mihi rem cogitatione fixeram, satis explanavisse mihi videor. Ceterum summum atque ultimum

ex tota hac disquisitione redundans, conclusio reputanda est subsequens, quae primas morbi imaginis, (quam si obiter adspicias complicata videatur,) lineas proponit simplicissimas ducemque esse et magistram in curatione suscipienda praestabit.

Sphaera cum reproductiva tum sensibilis et irritabilis characterem debilitatis prae se ferebat; quae sphaera sensibili incēdebat cum sensibilitate adaucta, in irritabili contra cum erethismo. Vitia organica autem vel in pectoris vel abdominis visceribus reapse praesentia ut statuamus, quae causa est? Omnia enim morbi phaenomena, immo vero vitiosa humorum mixtio et ipsa quodammodo ex virium anomaliis vitalium sufficienter explicari possunt. —

### Prognosis.

pro malo tam diuturno tamque inveterato, quoad curationem funditus perficiendam et radicalem nonnisi anceps et dubiosa sisti forsitan posset; eoque magis, quoniam tempus ad hanc opportunissimum, periodus videlicet pubertatis incipientis, praeterlapsum erat; absentibus tamen vitis internis organicis, spes melior ei praelucebat.

### Curatio.

Secundum ea, quae supra proposuimus, sequentes fere indicationes primarias contineat;

1. debilitatem per totum organismum dilatatam communem tollendi,
2. sensibilitatem systematis nervorum adauctam diminuendi,
3. irritabilitatem systematis vasorum amplificatam reprimendi, et

4. secretiones et excretiones adjuvandi, atque non modo per hanc ipsam sed etiam per indicationem primam; organa assimilationis specialiter spectantem explendam, crasin universalem corrigendi.

Ut indicationibus hisce explendis rite satisfieri posset, prae ceteris necessarium erat, partem hujusce quasi symptomatice absolvendi, scilicet activitatem ductus intestinalis concitandi statumque ejus pituitosum removendi, quo melius remedia requisita etc. assimilarentur effectamque majorem exercere possent.

Attamen, jam curationem adgressi, spem multo minorem ponebamus in remediis usitatis ac solitis quam in magnetismo animali, propterea quod indicationibus modo in medium prolatis plurimum congruere, aegrotaeque eximia sensibilitas effectus cum majoris tum gravioris eoque etiam eventus et citioris et prosperioris spem afferre videbatur. Primo quidem, ut aegrotata a remediis non prorsus destituta esset, quoad indicationem supra propositam symptomatice, has pilulas experiri statuimus.

Rp. Pulv. rad. Rhei ʒij.

Sapon. medicat. ʒj.

M. f. quant. suff. Extr. Tarax.

Massa pilul. ex qua formi.

pilul. ponder. granor. duor.

5. Ter per diem quinae pilulae sumantur.

Quarum pilularum effectu, (quamvis incerte et insufficienter fieri posset,) id metiri decrevimus, quod ab aliis remediis expectandum foret. Inprimis autem menstruationis instantis decursum hoc ipso tempore observandi cupidi, statum aeg-

grotantis universum accuratius indagare conabamur, quo rectius indicationum modo memoratarum veritatem, et, de qua agimus, curandi methodi justam conditionem aestimare possemus.

Diebus decem currentibus, effectus pilularum vix quicunque animadverti poterat; nam quum dosim pro habitu et tempore augeremus, tamen hoc temporis spatio ter non amplius alvum aegrotata evacuabat parcissimam atque uti plerumque durissimam. Menstruatio simul modo antea descripto et cum molestiis ibidem denominatis procedebat.

Opinio nostra, remediis intestinorum via parum profectum iri, aliqua ex parte videbatur eodem confirmata, et aegrotatae statu et organisatione magis magisque investigatis, de magnetismo animalis nunc administrando hactenus simul persuasum habebamus, quatenus homini medico datum est. Nullum remedium aliud praeter hoc tam efficax sese praestare poterat, ut tam universaliter tamque directe vim salutarem in systema nervorum exerceret, (quod hoc certe casu proximè affectum, sensibilitate sua mirum in modum adaucta, remedia hujus effectui et ipsum faveret,) impulsuque suum faustissimum via systematis nervorum in totum organismum propagaret.

Quibus rebus permotus, magnetismum animale adeundum esse censebam, cujus perpetrandi potestas medicanti mihi aegrotam data est a praeceptore clinicis cel. vir. professore Struve, usumque ejus die 2. mens. Febr. hora sexta instituebam.

Modus agendi universalis manipulatio erat per spatii intervallum, primo decem sexagesimas horae partes perducta.

Manibus meis per brachia semel atque iterum ductis (Tour) aegrotatae oculi operiebantur, ac paulo post brachia, hucusque in temere utroque reposita, involuntarie in lectum decidebant. Somno oppressa, quinque sexagesimas post manipulationem finitam expergiscebatur, et de calore interno et somnolentia singulari conquesta, ventilata mox somnum repetebat. Post sexagesimam dimidiam somno soluta, cum de sensu, qui tractationis initio locum habuisset, ex ea quaereretur, calorem aliquanto majorem, pressum in palpebras et inclinationem ad somnum, cui resistere non posset, significabat. In praesens sentire se calorem internum, membra gravata, pruritus et formicationem, atque uti antea somni esse cupidissimam. Iterum in somnum demersa, non prius quam hora nona expergiscebatur, qua cubitum ibat somnumque tranquillissimum carpebat, usque ad horam quintam sequentis dici mane.

Eadem phaenomena quinque diebus subsequitis multo quidem vehementiora deprehendebantur, ita ut, convulsionibus et spasmis adsciatas, somnus arctior fieret longiusque perduraret. Modus agendi supra denotatus eodem tempore quinque sexagesimis prolongabatur, vespereque ultimo, manipulatione per abdomen et crura inferiora contactu peracta, corroborabatur.

Quemadmodum vero magnetismi in aegrotam vis, quod attinet ad celeritatem atque energiam, nostram, quam de ea favebamus, spem longe superavit, sic etiam sese habuit cum salutari, quem post primam jam tractationem in conspectum venerat, ejusdem eventum. Aegrotata inde ex hoc tempore prorsus fere vacua a capitis doloribus et pungentibus spasmisque pectoris; leniores tan-

tummodo in abdomine dolores experiebatur. Edendi desiderium acrius, sapor post prandium minus quam antehac pravus, sedesque quotidianae et regulares. Extremitatum quidem algor plerumque ad vesperum usque perseverabat; sed hae magis erant siccae. Vigor systematis vasorum alacrior et regularior, fluor albus tamen aliquantulum aductus.

Die 5. mens. Febr. vesperi, refrigeratione suscepta, molestias quasdam leves catarrhales sibi adscisciebat, quibus ad diem 8. Febr. usque adeo amplificatis, ut pulsus vespere sese exhiberet frebibilem, tractationem intermittere oportebat. Aegrotam quamquam tempore manipulationis solito somno consopiretur, tamen ante horam undecimam quod dormiscere non poterat; quo facto usque ad horam tertiam dormiebat inquietissima, dieque insequente corporis habitus, tussi cum affectionibus febrilibus quamvis subtilis, idem fere atque in curationis initio erat. Dolores enim capitis, pectoris et abdominis priores, alvus adsricta, sapor depravatus, taedium edendi etc. haec incommoda omnia denique reversa, argumentum nobis etiam negativum praebebant, mutationes observatas salutare nonnisi curationis magneticae fuisse sequelas.

Die 9. mens. Febr. eadem iterata, vim ejus tum duramento majori tum genere manipulationis efficaciori sensim sensimque multiplicare sine debamus. Tempus manipulationis usque ad quinque, et quadraginta sexagesimas extendebamus, postea autem, aegrotam per somnum jubente adducti, ad quinque et viginti remittebamus.

In modis, quos applicuimus, manipulationis efficacioribus haberi possunt; manipulatio

digitis contractantibus exercita, primum in capite tantum et extremitatibus, tum etiam in corpore toto adhibita, quae tamen ob varias causas, e. g. propter sensum in regione praesertim ventriculi dolorificum ab eadem provocatum, menstruationisque instantis causa aut mitigari aut modificari debebat. Item manipulatio totum corpus adspargendo peracta cum agendi modo priori conjuncta, attamen usque ad diem sextum et vigesimum tantum perducta. Huc non minus referenda est manipulatio comprimendo administrata.

Qua tractandi methodo aegrotam nostram, tempore exiguo delapso, status magnetici gradus inferiores percurrerat, ita ut jam die duodecimo mens. Febr. phaenomena criseos perfectae, decimo octavo contemplatio sui ipsius interna in lucem prodirent. Status uterque, cujus in dies magis crescebat intensitas, nullum tamen gradum altiore adpisciebatur, cujus rei causa forsitan vertitur partim in tractatione, per menstruationem intervenientem aliasque perturbationes pluries interpellata et in methodo hac periclitanda (quamvis maxime caute et quam posset fieri rarissime,) partim in aliorum hominum praesentia non semper evitanda. Kiesera) enim, momento proxime memorato vim magneticam debilitari contendit, et egomet ipse de eodem creberrime persuasus eram.

Phaenomena praecipua ordine, quo evoluta sensim fuerant, ipsa, ad status illius imaginem adumbrandam nunc enumeranda sunt.

Somno magnetico quo magis aducto, sensus exteri rerum externarum impulsui eo magis

a) Kieser System des Tellurismus. Tom. II. p. 455.

praecludebantur, idque usque adeo, ut neque acuum puncta et alia irritamenta mechanica nec soni acutissimi, tametsi dolore eam in auribus saepe afficerent, ab aegrotâ perciperentur. Ante oculos opertos difuculum quoddam animadvertere sibi videbatur, quod tempore curae diverso vel clarius vel obscurius existebat, obscurius quidem e. g. post uodum agendi adhibitum efficacior.

Olfactus integer, gustus autem ita permutatus ut e. g. aqua magnetismo infecta salse et amare, consueta etiam adeo pejus ei saperet. Crescebat simul sensus communis, locisque singulis scilicet scrobiculo cordis, postea vero et in extremis digitis cum pedum tum manuum, auditus imprimis vicibus fungebatur, ita ut aegrotâ, somno magnetico oppressa, susurra loquentium vel placidissima per eum deprehenderet; quod idem factum est, si, scrobiculum ejus altera manu mea tangente, in alteram ab aegrotâ aversam aut in meum ipsius scrobiculum ab alio quidquam diceretur. Sonos hac ambage persensos tamquam allatos ex longinquo perhibebat, eoque remotiores quo longius a scrobiculo emittebantur. Alias autem non videbantur mutati, quoniam diversorum hominum voces quantumvis simulatas internosceret. Mirum est quod visus, totâ durante curatione magnetica, quoad res externas non aeque atque auditus compensatus fuerit, nam, ut in cubiculo aliquantisper circumiret a nobis postea rogata, neque aut eo ipso, aut sensu communij ad contractandum usque per intervallum adactis de rebus praesentibus edocebatur, nec quo pacto evitaret sciebat. De statu ejus interno, primo quidem initio optime sese habere, sereno vultu profitebatur, plenamque esse cogitationibus, quae

5  
tamen omnia describendi ei non data esset copia. Sensim etiam morbi causam declarabat, quam primo (quoniam, sicuti ipsa postea dicebat, eam agnoscere nondum potuisset), sanguini attribuebat, deinde autem totum malum a nervis debilitatis derivabat, cum filis eos subtilibus et tenuibus corpus omne penetrantibus comparans, quibus invalidis, dolores multiplices ac spasmi progignantur, quod idem in se ipsa fieri; totamque in integrum restitutum iri, si nervi sui manus ducendo (Sireichen) (ita enim curam magneticam nuncupabat) plus etiam roboris ceperint; remediaque alia ad se sanandam omnino non requiri. — De organis ceteris descriptionem perversam exhibebat; posthac rectius quidem se perspicere ea putabat, quod tamen nunquam ei contigit.

Creberrime tum etiam, quamdiu somnus duraturus sit, praedicebat, sicuti posterioris diei habitum et valetudinem, item menstruationis adventum: sibi ipsa praecipiebat tam quoad hanc, ut appropinquantem promovere possemus, quam quoad curam magneticam in univrsam, cujus duramentum in sexagesimas horae vicenas quinas constituebat. Vitrum et metalla corpus ejus tangentia nunc dolores vehementes et spasmos proferebant, alienorumque hominum praesentia sensu quodam argente mox ei indicari solebat.

Inde a die 27. Febr. haec phaenomena, curatione videlicet frequentius intermissa, quum et systema nervorum jam satis corroborari coepum esset, aut intensitatem priorem amittebant aut omnino abibant. Nihil tamen minus, ultima tractatione magnetica perpetrata, crisis perfectam eliciebamus. Aegrotâ interrogata per crisis recte asticteque respondebat; cito se penitus fore sana-

tam, nec ducl manibus porro oportere significabat. Magnetismum percipiendi facultas, etsi pro ea, quae antea existerat aliquanto minor, attamen etiam nunc tanta aegrotae inerat ut, quater aut quinquies manibus per brachia ductis, in somno collocaretur. Curam autem magneticam peraeagre ferebat, quoniam sensum in corpore gravitatis, caloris et pruritus usque ad somnum, molestissimum et maxime ingratum perpetiebatur.

Momentis curae magneticae necessariis breviter expositis, reliquum est ut vim ejus in statum morbosum, qui, quemadmodum supra vidimus, idem atque antea sese praestabat, paucis explanemus.

Tractatione prima magnetica facta, jam die gno mens. Febr. vesperi secuta est quies nocturna tranquilla. Algor humidus extremitatum inferiorum, qui, aegrota somno excussa, aderat, propere evanescebat, aegrotaque currente die valetudine satis bona utebatur. Die quoque subsequente post horripilationem celeriter praetereuntem, calor vivacior et sudor universalis reddens emicuit, quo facto corpus temperiem per totum diem moderatam servabat. Dolores alterna vice aut in capite aut pectore aut abdomine, iique hoc loco frequentissimi oboriebantur, qui tamen aegrotam parum fatigabant; digestio nihilominus et ceterorum systematum activitas paulatim in conditionem meliorem vertebatur. In systemate nervorum autem prae ceteris curae magneticae vis salutaris sese manifestabat; quod partim e praesentia, de qua supra mentionem injecimus, rariore affectionum dolorosarum alias perpetuo fere in variis corporis partibus sedem habentium, partim ac praecipue ex absentia absoluta affectionum spas-

modicarum cum universalium tum localium, atque e membris torpore non amplius hebetatis elucet. Nam etsi palpitatio cordis, subsequente syncope rursus interveniebat (quae semel tantum aegrotam corripuit), tamen non aestimanda est sequela sensibilitatis nimis eductae neque aut per eam aut per congestiones ad organa pectoris aliis causis internis contractas tanquam sua sponte accidebat, sed opus erat ad eam provocandam irritamentum quodam in animum aegrotantis vim vehementiorem exerente, inopinato scilicet nuntio de matre in morbum gravem delapsa. Activitas systematis vasorum pariter energiam majorem ostendebat, plerumque erat regularis nec amplius aequae atque antehac permutabilis, ita ut arteriarum ictus inter sexagesimas sexaginta quinque semper et septuaginta quinque medium teneret. Activitas etiam organorum se — et excretionum, conditio melior et magis aequalis muci simul cum fluore alba excreti pro sanatione progrediente loquebantur nec in dubium revocari potest, aegrotam nostram multo citius fuisse sanatam, nisi, variis rebus turbantibus, cura ejusque effectus saluberrimi in plurimos dies saepe numero interrupti fuissent.

Curatio, suadente per somnum aegrota, primo interpellata est die 27mo mens. Febr. ob menstruationem brevi imminentem, per molimina multo mitiora quam antea fieri solebat, annuntiatam; quae verisimiliter secundum normam processisset, nisi rebus detrimetosis impedita fuisset. Quas inter numeranda est animi turbatio dies aliquot antequam menses inciperent, nuntio supra dicto oblato interveniens, animi de ea re sollicitudo perpetua, accepta denique refrigeratio. — Die

videlicet 27mo mens. Febr. aegrotā secundum ipsius praeceptum, ante tractationem magneticam instituendam, pediluvium sumserat, et sudore copiosiore prorupio, non nisi vestimento suo consueto ac tenui induta usque ad horam decimam super lecto jacebat. Menstruatio nocte insequente apparebat quidem, parca autem erat, celeriter evanescebat et rursus, vice mutata, redibat. Habitus communis tamen non ad istam normam erat turbatus quam exspectari forsā posset. Somnus excitatus, membra frigidiuscula, dolores capitis et abdominis, appetitus dimiutus pulsusque paulo accelerati et irregularior, symptomata erant comitantia. Immo vero, currentibus quatuor hisce diebus, aegrotā bis alvum ejiciebat spontaneam, quippe quae antea, tota durante menstruationis periodo, pertinaciter fuisset obstructa.

Die tertio mens. Martii a fluore albo intercedente de menstruatione finita edocti, vespere curam magneticam proferebamus, eventuque eodem ut antea prospero quamquam deprehenso, tamen propter turbationes renovatas die 8. m. M. iterum eam intermittere oportebat. Namque, narratione minus caute altaque voce in cubiculo adjacenti relata, aegrotā praeter opinionem de avunculi morte certor facta adeoque contrerita est ut post dolores quosdam in regione sacrali, menstruatio repente profueret. Copiose effusa somnum hac nocte aegrotae tamen non adimebat; die 9. ante meridiem sistebat. Dolores simul aliquot in capite, abdomine et regione sacrae aegrotam vexabant, sub vespere acerbiore et cum dolore conjuncti satis vehementi nec unquam ab aegrotā ita pensato, qui a latere pectoris sinistro usque ad regionem iliācam sinistram descendeat. —

Omnes vero, menstruatione prorumpente, sublati, ita ut nox quietissima subsequeretur, quae aegrotā ad horam usque 5. mane dormiebat. Diebus duobus posterioribus menses, non semper tamen fluentes, perseverabant. Habitus communis, digestio etc. optima, somnusque haud disturbatus. Noctē autem in diem 12. mens. Martii, menstruatione denuo interclusa, postquam aegrotā expectata erat, alior extremitates praesertim inferiores corripiebat, postea lenes dolores capitis ac tempore pomeridiano leves membrorum motus spasmodicos aegrotā perpetiebat; eosque inprimis in latere sinistro, qui tamen tantum locales, cito decedebant, donec vesperi hora decima, dolore capitis antea adaucto, in affectionem spasmodicam universalem transirent. Aegrotā somno repente sopita et affectionis progredientis nescia reapse tum obdormisse credit. Per totam noctem inquietissima sub diluculum diei 13. mens. Martii demum placido somno excepta est, quo soluta rursus satis bene sese habebat. Algor extremitatum, latere sinistro et circa articulos paululum tumidarum cum tumore eodem removebatur, calore et sudore mox proveniente universali; doloresque capitis lenes et spasmi interdum enati, menstruatione incipiente et per horam dimidiam profuente, sub meridiem omnes evanescebant. Digestio tum erat perbona, alvus exanimata, et systemate vasorum etiamsi irritatiore quam inde ex tempore multo exsisterat, pulsus tamen aequalis nec permutabilis. Noctē inter diem 13. et 14. aegrotā denuo somnum suavissimum carpebat ac per totum diem optime sese habebat ita ut, menstruatione jamjam inde ob ab hesternā meridiē deficiente, curam magneticam vesperi redintegra-

re; possemus. At, tribus praeterlapsis diebus, quos optima valetudine gavisa aegrotata transigebat, febris superveniente catarrhali, curae continuandae impedimentum aderat. Quae febris initium capiebat die 17. mens. M. cum lassitudine universali, doloribus capitis ac motibus aliquot exiguis febrilibus, qui sub vesperum in exacerbationem perfectam augescebant, cum siti accensa vehementiore, digestionem turbata et insomnia conjuncti erant, et quibus die 18. m. M. accedebat angina catarrhali et tussis. Calor eximius, pulsus acceleratissimus et paulo plenior ad salem antiphlogisticum mitem applicandum, qui simul aliquatenus in secretionem ageret, nos commovebat. Quem ad finem Kali aceticum eligebamus solutione quidem simpliciter et cum syrop. Althaeae conjunctum. Pro potu propter sitim ardentem aegrotatae aliquid aciduli concedebatur. Sub vesperum febris adacta hanc etiam noctem reddebat inquietissimam et aegrotata non prius morbo aliquanto levata est quam corrente die 19. m. M., calore sicco et cutis pruritu antecedentibus, cum sudore universali exanthema miliariae identidem proruperat; inde per noctem tranquille quiescebat et die vigesimo et 21. febris una cum molestiis ceteris catarrhalibus sensim remittebatur; habitus communis rursus in meliorem conditionem redactus, appetitus major, alvus soluta fluorque albus inde a menstruatione proxima absens post dolores aliquot mitiores in regione sacrali nunc revertebatur.

Die 22. mens. Martii, rebus hisce rite respectis, mixtionem illam omittebamus curamque magneticam iterum adibamus, quae tum ad diem usque nonam mens. Aprilis haudquaquam interpellata felicissimoque cum eventu continuari poterat.

Aegrotata ab omnibus cito liberata erat doloribus, qui etsi aderant; transeuntes neque ita vehementes. Nullum spasmi cujuslibet exstabat vestigium; cutis totius corporis semper calida, redolens; color lividus extremitatum inferiorum in dies sensim deletus; fluor albus dies complures oppressus ceterum parvus et benignus; gravedo rarius aegrotatam fatigabat; digestio et assimilatio magis magisque emendata, viresque ad primum gradum crescebant ut primis mens. Apr. diebus ne plurium quidem horarum motione corporis aegrotata delassaretur. Diebus 6, 7 et 8 mens. Apr. levibus quibusdam affectionibus dolorificis vicissim caput, abdomen et regionem sacralem occupantibus, nulla turbatione praesente, menstruatio denovo indicata erat.

Die 8. mens. Apr. fluore albo intercluso, quamquam tractationem magneticam aestimarem inmittendam, habitus tamen perstabat idem. Die 10. mens. Apr. vesperi demum molestiae nominatae amplificabantur, quibus durantibus, menstruatio profundi coeperat. Haec dies quinque assidue perseverans, alternis tantum diebus aliquanto existerat copiosior, nunquam nimia; sanguis ipse mixtione gaudebat optima, aegrotataque toto hoc tempore in summa perbene sese habebat; semper enim somno utebatur tranquillissimo, eoque satis longo; appetitus vegetus; alvus quotidie rite dejecta, nec nisi die 14. hac tamen conditione turbata ut sedes tres vel quatuor liquidae sequerentur. Quovis vespere tempore curae magneticae exercendae solito sompulentia cum calore adaucto atque sub cute pruritu adparebat. Die 15. mens. Apr. cum menstruatio profuere sensim desisset et fluor albus diebus binis praeterlapsis non amplius in lucem prodisset aegrotataeque valetudo optime



fere affecta fuisset die 17. vesperi tractationem magneticam ultimam instituebamus non supra diem 24. mens. Apr. extensam. Indicia curationis finitae putanda erant primo: praescriptio aegrotae ipsius per somnum edita, deinde facultas magnetismi percipiendi diminuta, status denique aegrotae ipse, qui, cura etiamsi intermissa, magis magisque in conditionem meliorem ita restituebatur, ut omnes organismi functiones cito normaliter procederent, isque in dies plus virium assumeret. Dies mens. Maji sereni reconvalescentem multo adjuvabant eique copiam faciebant cum ambulando modice tum aura liberiori fruendo vires recreandi, adeo ut, menstruatione semel iterum tempore justo profundi coepta, quum secundum normam decurrisset, die 10. mens. Maji aegrota dimitteretur sanata.

Inde ex eo, postquam menses aliquot ruri degerat, mense Augusto anni 1826 in urbe reducem eam optima corporis sanitate vidi praeditam, qua etiam nunc temporis, scilicet mense Martio, utitur, quanquam ad vitam sedentariam priorem momentaque alia detrimetosa cum hac nimirum conjuncta reverterit.

#### THESES DEPENDENDAE.

- 1) Sunt morbi larvati.
- 2) Signa extravasati, licet certissima sint, quovis casu non indicant trepanationem.
- 3) Examen aegroti longum, diagnosis certa et formulae breves non semper denotant medicum peritum.
- 4) Catarrhus non oritur e sudore suppresso.
- 5) Haemoptysis saepius pro phthisico symptomate quam pro causa habenda est.
- 6) Venae vim habent resorbendi.
- 7) Arteriae instabilitate gaudent.